

glaube ist *schwer sündhaft*, weil er den wahren, inneren und lebendigen Glauben an die universale Weltregierung des einen allmächtigen, allweisen und allgütigen Gottes und Vaters im Himmel in seinem überwuchernden Dornengestrüpp erstickt. — Das *Neuheidentum* unter christlichem Aushängeschild macht sich unnötige Sorgen um die Zukunft, möchte deren weise verhüllten Schleier gewaltsam lüften durch mechanische Zwangstechnik des Aberglaubens, des Wahnes von einer am sichtbaren Firmament ablesbaren Himmelsschrift. Dabei *verkehrt es die höchste, sittliche Freiheit der Gotteskindschaft* in niedrigsten, entwürdigendsten Frondienst gegenüber tyrannischen Naturgewalten. Die grundsätzliche Unbotmäßigkeit und Auflehnung gegen den absolut höchsten und gütigsten, vertrauenswürdigsten Herrn, ist förmliche Fahnenflucht von der allein alle freimachenden Wahrheit der Gotteskindschaft zur *sklavischesten Hingabe an die Welt und deren „Fürsten“, den Widersacher des Gottesreiches*.

Aktuelle Fragen des Ehrechtes und der Ehemoral.

Ein theologisches Gutachten von P. Arthur Vermeersch S. J.

Redaktionsbericht. Wiederholte Anfragen und Anregungen aus dem Leserkreis veranlaßten die Redaktion der „Theol.-prakt. Quartalschrift“, an eine der ersten Autoritäten unter den Theologen der Gegenwart, Hochw. Herrn Professor P. Arthur Vermeersch S. J. von der Gregorianischen Universität in Rom, mit der Bitte um ein theologisches Gutachten über folgende Probleme des kirchlichen Ehrechtes und der Ehemoral heranzutreten:

1. *Haben die modernen Methoden der Sterilisation nach dem kirchlichen Ehrechte Impotenz für die Ehe zur Folge?*
2. *Machen sie weiteren geschlechtlichen Verkehr in einer schon bestehenden ehelichen Lebensgemeinschaft sittlich unerlaubt?*
3. *Ist ein Ehegatte zur Aufhebung der ehelichen Lebensgemeinschaft (separatio a toro et mensa) berechtigt, wenn der andere Teil ohne Vorwissen und Zustimmung seines Ehepartners sich der Sterilisation unterzogen hat?*
4. *Wie ist die sittliche Erlaubtheit der sogenannten „fakultativen Sterilität“, bezw. der „periodischen Enthaltung“ in der Ehe zu beurteilen?*

R. P. Arthur Vermeersch hatte die Güte, über diese Fragen ein umfangreiches und gründliches Gutachten

zur Verfügung zu stellen, das wir hiemit veröffentlichen, und zwar im lateinischen Wortlaut, wie es der hochw. Verfasser ausgearbeitet hat.

Das Gutachten bestätigt und bekräftigt in allen wesentlichen Punkten die Auffassungen, die schon in früheren Veröffentlichungen unserer Quartalschrift zum Gegenstand vertreten wurden; so in der Artikelreihe von *Dr Josef Grosam* über die *Sterilisation*: 83. Jg. 1930, S. 59—79; 285—306; 497—523; 701—722 (auch als Sonderdruck erhältlich. Vgl. dazu 84. Jg. 1931, S. 783—788; 85. Jg. 1932, S. 168 f.); und in den Abhandlungen über die „*fakultative Sterilität*“ von *Dr Hittmair*, *Dr Heilweck* und *Dr W. Grosam* in den Jahrgängen 84 (1931), S. 277—280, 280—287; 85 (1932), S. 641—651; 86 (1933), S. 262—280. Vgl. auch 87. Jg. (1934), S. 790—797.

Postquam diu, ultra saeculum, aequales nostri falsa libertatis imagine decepti, sub splendidis coloribus oppressionem populi dissimularunt, nomine immanis industriae, servilem, etiam pueris et feminis, laborem imponentes, spoliando plebem iis bonis superioribus intellectus, mentis et religionis, quae miseriam aliquantisper lenire et compensare potuissent, ecce, sub oculis nostris, magna contraria actio fieri coepta est, quae, deserens placita liberalismi oeconomici, ab „individualismo“, seu nimia singulorum consideratione ad *sociales respectus* se convertere proponit, ita ut fere in omni dominio quaestio poneretur quid cives societati sacrificare deberent. Id de tributis et taxis, id de privatis possessionibus, id de libertate negociandi et agendi quaerere instituerunt.

Studia autem scientiarum physicarum et medicarum nova problemata suscitavit, ita ut facultas privati viri de proprio corpore disponendi inter artiores limites concluderetur, inter limites, inquam, permissos a potestate publica. In omni enim civitate, cum cives alii sint sani, alii aegroti, alii viribus valentes, alii infirmiores, a statisticis rationibus cognoscere voluerunt quot in singulis classibus numerarentur et quo passu progredierentur. Cum autem viderentur numero crescere qui corpore potius aliis forent oneri et gravamini, dum olim solis miseris seu aegrotis opem medicinalem ferebant, hodie sollicitudo speciem mutavit et studiose diffusioni morbi artificiose obsistere conati sunt. Quare non solum de iis qui aliqua peste laborabant, sed de permultis aliis quorum valetudo aliqua tabe infici visa est, v. g. de psychonervosis, de tuberculosis, quaestiones decretae sunt. Sic

factum est ut Doctores medici duas vias inire proposuerint: alteram curandi afflictos, alteram efficiendi ut minores numero societatem aggrederentur. Dixeris infirmiores, debiliores, esse velut exercitum quocum altera, sanior pars confligit. Si ageretur de animalibus sine ratione et libertate, remedium foret suppressio caput. Huc nondum pervenerunt. Vitam alicui eripere nolunt; immo exquisitis curis eos meliore valetudine ditare tentant; sed simul intendunt, ut media propagandi malum ipsis auferantur, tollendo viam transmissionis per generationem; atque argumentantur de expensis curae quibus oportet ut aerarium levetur. Etenim, quamdiu modica medicina infirmioribus praestabatur, immo multi sibi relinquebantur, nec eorum spectaculo adeo movebantur homines, nec societati hominum adeo erant gravamini. Sed ex quo ipsis sanatoria parantur, addicuntur medici speciales vel infirmarii, expensae visae sunt in immensum crescere. Ingruens materialismus hoc quoque fecit ut sensus commiserationis gradatim minueretur: ac re vera, si omnia in hac vita finem habent, si nulla spes vitae futurae superest, ut quid longae patientesque curae? „Ut quid perditio haec?“¹⁾ Aegroti ipsis ceterisque inutiles, melius et promptius solatium reperient in euthanasia; vel, si sensus communis adhuc nimis repugnat modis quibus homines aequiparantur bestiis, saltem, supprimendo facultatem procreandi, impediamus ne huiusmodi multiplicentur. Propter eandem materialismi pestem, nobili concupiscentiae prolis generandae et instituendae minus attenditur. Ac fortuna istorum reformatorum crevit, postquam reperta est ratio conservandi voluptatem sine usu fecundo matrimonii. Tunc potuere suaviore modo allicere personas debiliores ad sua placita, huiusmodi ratiocinio: frui vita praesenti; quaere delicias carnales, sed simul consule Societati, ipsamque libera onere servandi et nutriendi homines minorum virium; talibus societas non indiget. Postulat sibi homines fortes, validissimos, qui dominatum vel principatum praeparabunt suo generi, suae nationi. Atque ita ipsa consilia superbiae et ambitionis auctoritatem addiderunt iis qui moderna „materialistica“ ratione sanam, potentem armis cupiunt nationem.

Statisticarum rationes confirmant argumenta. Cogites milia et milia (inter 200.000 et 250.000) idiotarum et epi-

¹⁾ Mt 26, 8.

leptorum esse in Germania, ac multos esse incurabiles.²⁾ Consideres iam quid futurum sit populo, quantum periculum ex velociore modo quo minus validi multiplicantur.³⁾ „Qui corpore et mente debiles sunt, in hodiernis adiunctis, non solum superaverunt numero stipites saniores, sed etiam citius multiplicantur; minantur vitae nationis.“ Ita Mayer, afferens, p. 12, locum ex Slater S. I., *Questions*, 253.

Quando huiusmodi facta hodie vivida ratione conspicienda offeruntur nostris, quos simul ambitio, egoismus, materiales cupiditates hebetant et fere perdunt, ut sublimiora ipsis vilescant, num mirari possumus haec ad studia inferiora homines perducere? Num mirabimur iam plures esse populos qui lege decreverunt sterilitatem innumerabilium, minus perfecte sanorum (250.000 in Germania)? Notandum praeterea est, statisticas istas rationes satis leviter proponi. V. g. causae incrementi negleguntur: possunt esse accidentales; de aliis remediis non fit sermo. Sed parum scientificis statisticis rationibus permoti, ac votis appellantes generationem sanam et fortem, inter medicos praesertim fuere qui decreta proponere ausi sunt quibus sterilitas artificialis imponeretur omnibus qui generationem vel vitiosam tantum vel valetudine precariam societati afferre possent.⁴⁾ Huiusmodi lex in quibusdam Statibus Americae septentrionalis et in Germania lata est. De Legibus Americanis cfr Mayer, op. cit. p. 178 ss.

Hanc tamen principalem quaestionem de validitate vel opportunitate istarum legum hic praetermittimus. Ceterum res ista non est disputata inter theologos aut catholicae moralis defensores.⁵⁾ Quare eam praetermittimus in

²⁾ Cfr. Mayer, Gesetzliche Unfruchtbarmachung Geisteskranker, p. 2, 6.

³⁾ Mayer, op. cit. p. 8, 9.

⁴⁾ „Ad normam eorum quae fiunt circa bruta animalia“; De Smet, De sponsalibus et matrimonio, I, n. 440.

⁵⁾ Neglegi enim potest opinio Dr Mayer, qui causam hominum mentis intactae a mente infirmis separans, legali sterilizationi posteriorum favere videtur. Cfr eius opus citatum, v. g. p. 359, 360. Ceterum opus istud est valde eruditum et utile; sed statisticas eius rationes velimus bene probatas. Non omnia mala tribuenda sunt infirmitati nativae vel hereditati; distinguendae sunt variae causae, remedia alia possibilia, etc. Praeterea maior cura aegrotorum plura ordinavit sanatoria cum personis quae se infirmis devovent. Ex crescente numero institutionum certum argumentum crescentis numeri infirmorum desumi nequit. Nonne, contra, admittendum est plures infirmos cohibitos fuisse atque eorum numerum declinasse? Secus de ipsa arte therapeutica desperandum foret.

hac lucubratione, praesertim quod non desiderantur opuscula theologorum qui eandem tractant.



Verum hic enucleare velimus quaestiones particulares connexas. *Creatne impotentiam quae sit impedimentum matrimonii, usus Vasectomiae duplicis, vel, apud feminas, sectio tubae Fallopianae? Prohibetne usum matrimonii? Coniux qui, nesciente vel invita altera parte, procuravit sibi hanc deminutam mutilationem, servatne ius suum matrimoniale, an locum dat separationi perpetuae vel temporali?*

Tria haec sincere examinare, pro lectoribus huius ephemeridis, nobis in animo est.

I. Notiones de Vasectomia vel de Fallectomia.

Diu, ut omnis spes conceptionis praecluderetur, supprimebant testiculos in mare, vel ovaria in muliere, nec alia ratio inducendae sterilitatis passim cognoscebatur. Non ita pridem autem nova ratio est inventa. Testes et ovaria sinuntur esse integra; sed, vel ligando aut secando utrumque ductum spermaticum in viro, vel utramque tubam fallopianam in muliere, obtinent ut vir nullum semen ad extra eiaculari possit, vel ut ovulum femineum per oviductum ad coniunctionem cum semine virili pervenire nullatenus queat. Hoc modo procuratur sterilitas quae nullam aufert satisfactionem carnalem. Hormones, seu excitantes vires interna secretionem productae, manente hac secretionem interna, agere pergunt. Nulla tamen fecunditas manet possibilis, cum nullus locus sit coniunctioni seminis virilis et ovuli.

Nomine Vasectomiae et Fallectomiae veniunt istae artes sterilizandi personas. Capacitatem tollunt generandi, non tamen appetitum sexualem; ac proin permittunt copulam satiativam appetitus, quamvis sterilem. Duplex autem est vasectomia, quando ambo canales secantur vel ligantur, sicut duplex est fallectomia, quando duplex oviductus ligatur vel secatur. Incapacitas autem generandi est perpetua vel temporalis, prout communicatio nullatenus restitui potest vel, sublato obstaculo, tollitur.⁶⁾ Iam ad quaestiones propositas examinandas veniamus.

⁶⁾ In initio putarunt non nulli medici americani communicationem restitui posse, etiam si sectio utriusque canalus peracta fuerit; sed adeo subtiles canales vix poterunt summa arte iterum coniungi; unde sola ligatio practice efficit obstaculum quod non sit perpetuum.

II. Post factam duplicem vasectomiam vel fallocetomiam subsistitne habilitas ad validum matrimonium?

Revocantur non nulla principia. In confesso est apud omnes theologos morales, et sancitur can. 1013, § 1, Codicis iuris can.: „Matrimonii finis primarius est procreatio atque educatio prolis; secundarius, mutuum adiutorium et remedium concupiscentiae.“

Porro vi can. 1081, § 1: „Nulla humana potestate suppleri valet“ consensus matrimonialis. Is vero, ex can. 1081, § 2, est „actus voluntatis quo utraque pars tradit et acceptat ius in corpus perpetuum et exclusivum, in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem“.

Quare, ex can. 1086, § 2, si alterutra pars excludit „omne ius ad coniugalem actum, vel essentialem aliquam matrimonii proprietatem“, invalide contrahit. Invalide igitur contraheret qui, voluntate positiva, istam mutuum iuris traditionem excluderet. Quod verum est etiam si agatur de persona quae duplicem vasectomiam, eamque insanabilem, passus esset.

Consisteretne matrimonium eius qui sine actu voluntatis excludente hanc mutuum iuris traditionem, finem primarium matrimonii ob sterilitatem attingere non posset? Istud est valde disputatum inter theologos, et de hac re pendet nostrae quaestionis solutio.

Antequam ipsam controversiam adeamus, in primis statuamus quaedam quae constant.

a) Cum duplex sit vis, altera generandi, altera coeundi, vis generandi sine vi coeundi nequaquam sufficit habilitati ad matrimonium. Iam nunc fecundatio haberi potest sine copula; et medica arte poterit fortasse (etiam sine ulla pollutione) fieri valde probabilis. Nihilominus, vir et mulier quibus *copulae* facultas in perpetuum desit, declarandi sunt sine ambagibus matrimonii contrahendi incapaces. Traditio enim corporum, quae est matrimonii obiectum, fit immedate ad commixtionem carnalem, non ad generationem. Deficiente copulae capacitate, matrimonium dirigi nequit ad commercium carnale, quod naturalis via est ad generationem.

b) Quamdiu *senes* facultatem copulae servant, matrimonio non sunt prohibendi. Id probat perpetuus usus Ecclesiae, quem ratio confirmat. Ingens enim ad copulam propensio non est sublata. Ordini autem naturae repugnare videtur ut naturalis inclinatio ad corporum commixtionem omni usu licito pro magna hominum parte privetur.

c) *Eunuchi seu castrati*, qui utroque teste carent seu privati sunt, valide nubere non possunt. Id per Sixtum V in celebri responso ad Nuntium Hispaniae declaratum est et ab omnibus deinceps catholicis doctoribus admissum.

d) Qui fructum coniunctionis sexualis impedire volunt et sub hac condicione de futuro contrahunt, apponunt condicionem contrariam substantiae matrimonii ac proin *invalidè* nubunt. Inducunt enim, ut optime observat Ojetti,⁷⁾ in ipsum actum celebrationis matrimonii obligationem quae, ut contraria, elidit aliam obligationem quae ex illo eodem actu necessario suscipitur.

Ut iam de variis sentiis dicamus:

Prima sententia illos solos aptos matrimonio existimat, qui capaces sunt copulae et quidem copulae fecundae; capacitatem intellegunt hac ratione ut nullum visibile aut cognoscibile obstaculum generationem impediat. Fit tamen ut, propter causas occultas seu secretas, nulla generatio copulam sequatur. Sed adsunt zoo-spermata, adsunt ovula, copula prorsus apparet apta generationi. Latente autem causa cur generatio non sequatur, nihil matrimonio obstat. Quia elementa essentialia sacramenti contractus qui omnibus offertur, debent esse cognoscibilia. Sin aliter, nimis saepe accideret ut matrimonium optima fide contractum, ut nullum dissolvendum esset.

Hanc sententiam amplectuntur Antonelli, *Medicina pastoralis*, ed. 3; Bucceroni S. I., *Theol. mor.* ed. 5, II, n. 994; Leitner, *Eherecht*, S. 105; Lehmkuhl, *Theol. mor.* II, 975, etc.

Sententia tamen ista reicienda est.

a) Qua enim consequentia statues valere matrimonium si defectus rei quam *essentialem* praedicant *ignoratur*, non valere autem si defectus apparet? Sive cognoscatur, sive ignoretur defectus, res obiective eadem manent. Nonne eo quod occulta incapacitate laborantes valide nubere possunt, sequitur incapacitatem generationi non esse essentialem matrimonio? Logice dicendum est: capacitas quaedam vel numquam vel semper est essentialis.

b) Nova ista sententia classicam impedimenti notionem pervertit. Communi ore doctores profitebantur non ex impotentia *generandi* sed ex impotentia *coeundi* impedimentum impotentiae manare. Addas nimis multas easque occultas causas nullitatis quae logice admitti de-

⁷⁾ Sinopsis rerum moralium et iuris Pontificii, 4 vol. n. 2413.

berent, et, in re ista gravissima, logicam, hactenus ignoratam, necessitatem examinis corporalis ante nuptias, ut valori matrimonii satis prudenter esset consultum.

c) Laborat in explicandis matrimoniis quae senibus permittuntur. Cfr. observanda de altera sententia.

Altera sententia. Adhaerens placitis quae per plura saecula admissa sunt in Ecclesia, *eos solos et omnes impotentes* dicit qui incapaces sunt copulae per se aptae ad generationem. Quare impotentem esse existimat virum qui, incapax erectionis, vas muliebre penetrare nequit; eunuchum et eum qui vasectomiam passus est, quia semen prolificum profundere nequit; mulierem quae vagina privata est vel eam occlusam fert, quia in ipsa desideratur facultas cuiuslibet copulae; mulierem autem cui utrumque ovarium, etiam fortasse cum utero sublatum est, mere dicit sterilem, quia contributio seu participatio ovarii et uteri copulam consequitur.

Sententia ista ad praesentem usum Curiae perfecte attemperatur. Potentem igitur declarat mulierem quae careat ovario vel utero. Hanc rationem afferunt conclusionis suae: contributio feminae per ovulum non intervenit nisi post copulam. Haec igitur prorsus eadem ratione perficitur, sive adsint ovaria sive non. Constans autem est traditio ut capacitas matrimonialis ex natura copulae existimetur. Quod autem per se latet nequit esse matrimonio essenziale. Quocirca status organorum femineorum, qui absconditur in corpore muliebri, nequit attendi ut eius capacitatem matrimonialem aestimes. Sed cum finis primarius matrimonii sit generatio, capacitas attingendi hunc finem requiri videtur saltem in copula, quae tunc tantum dici potest *de se apta ad generationem*.

Multi hodie, immo plerique hanc sententiam tuentur: Wernz-Vidal, *Ius canonicum*, V, n. 233; De Smet, *De Sponsalibus et matrimonio*, n. 550; Prümmer O. P., *Theol. Mor.* II, 798, 799; Ojetti S. I., *Sinopsis rerum moralium* etc., n. 2425; Aertnys-Damen, *Theol. mor.* II, 712; Merkelbach O. P., *Summa theol. mor.* III, n. 851, etc.

Negari tamen nequit sententiam aliquantis per claudicare.

Cur validitati matrimonii nocet defectus in semine, non nocet in ovulo? Ambo tamen sunt elementa necessaria generationi. Nec sufficit appellare receptum istud: „copula per se apta ad generationem.“ Haec est ambiguae significationis, cum aliter ab aliis intellegatur. Talis

dici potest copula quae satisfactionem carnalem completam procuret. Ad huiusmodi copulam terminatur appetitus. Istud autem praestat copula, sive adsint nemaspermata sive desiderentur, sive vivant sive sint necata.

Praeterea laborat ista sententia in *explicandis matrimoniis quae senibus permittuntur*. Etiam si admittamus rarissimos casus fertilitatis senilis, isti non tollunt moralem certitudinem impotentiae generandi apud senes, ita ut *singuli* nequeant sine ulteriore examine se dicere *probabiliter* potentes. Quomodo mulier quinquaginta annorum, quae fluxum menstruum iam non habet existimabitur probabiliter capax generandi? Quomodo senes quorum semen non continet nisi nema-spermata vel mortua vel quae ad vaginam vehi nequeunt, probabilem generandi capacitatem habere dicentur? Neque antiqui ad subtiles istas explicationes seu evasiones confugiebant; sed plures saltem, iique praestantissimi, impotentiam apud senes affirmabant, et simul docebant valere nihilominus eorum matrimonia, quia, in praesenti ordine, matrimonia *aut* propter suscipiendam prolem *aut* propter sedandam concupiscentiam honeste contrahi possent. Doctissimus Esmein⁸⁾ declarat eam esse communem doctrinam medii aevi. Neque aliter intellegebant S. Thomam, cui adiungi potest S. Bonaventura. Tum Tancredus, tum S. Raymundus, ut matrimonio excludant qui copulae sunt incapaces sic ratiocinantur: „Cum enim omne matrimonium aut causa suscipiendae prolis aut causa incontinentiae fiat, impossibilitas coeundi utramque causam removet.“ (In *Summa*.) „Quid si vir generare non possit vel mulier concipere, numquid matrimonium contrahere possunt?“ Huic interrogationi respondet Goffredus De Trano: „Respondeo sic; nam quamvis in matrimonio talium utraque causa matrimonii locum non habeat . . . sufficit tamen alteram non deesse.“ — Ut constat ex traditione universali Ecclesiae, ait Ledesma (*De magno matrimonii sacramento*, q. 58, art. 1) matrimonia senum sunt valida, tamen senes habent impotentiam generandi, ut manifeste constat.“ Sanchez, *De matrimonio*, L. VII, d. 92, n. 26: Ecclesia „passim admittit senes ad illud (matrimonium) ineundum, cum tamen eorum semen constet esse sterile . . . Tandem quia etsi id matrimonium frustretur fine primario, qui est prolis generatio, consequitur tamen finem

⁸⁾ Cfr. eius opus, *Le mariage en droit canonique*, ed. 2, 1929 (Recueil Sirey), t. I, p. 278.

secundarium, nempe satisfacere concupiscentiae, vera copula habita. Quod ad eius valorem sufficit. Et ita sustinet D. Thomas in 4 d. 34, q. un; art. 2 ad 3, receptus passim ab omnibus theologis et iuris pontificii professoribus, demptis paucis . . . quos optime impugnat Barbosa, L. I, p. 1, n. 98, *De solut. matrimonii*.“ Schmalzgrueber, in L. 4, t. 15, n. 2: „Impotentia ad generandum dari potest sine priore (impotentia ad copulam) ut fit in senibus.“ Quid quod Laymann (L. 5, tr. 1, p. 4, c. 11, n. L) et plures alii egregii doctores his vel similibus verbis utebantur: „Impotentia alia est ad prolem generandam, quae *sterilitas dicitur*, et haec, si sola sit, nullum matrimonio impedimentum affert.“

Tertia sententia auctorem habet R. P. Arendt S. I. Impedimento impotentiae eos solos laborare tenet qui sunt incapaces copulae per se aptae ad generationem. Qui tamen physica certitudine se norunt impotentes ad generandum, in matrimonium valide consentire nequeunt, ut ipse opinatur, quia eorum consensus in finem primum matrimonii seu finem operis ferri non potest. Si vero physica ista incapacitas ignoretur, valide contrahunt matrimonium, propter naturalem praesumptionem capacitatis generandi, quae perseverat, donec contrarium certissime manifestetur. Nec valori matrimonii obstat, si, post celebrationem matrimonii incapacitas (etiam si matrimonium antecedit) generandi detegatur, quia coniuges non erant affecti impedimento impotentiae, et propter praesumptam capacitatem, consensus finem operis (matrimonii) attingebat.

Huic sententiae difficulter concedetur, in iisdem omnino adiunctis obiectivis validum consensum dari posse vel non posse, prout impotentia generandi fuerit ignorata vel manifesta. In neutro casu enim consensus iste vitatur directione opposita fini primario matrimonii; immo (arg. can. 1085) non repugnat quin affectu ipsam generationem complectatur, sicut scientia nullitatis matrimonii consensum matrimoniale non necessario excludit. Si autem non ex subiectivo defectu sed ex obiectivo eius termino argumentaris, partium ignorantia vel scientia obiectivam istam rationem non mutat. Et si instes dicendo tales esse condiciones functionis generativae ut soli defectus manifesti valorem matrimonii labefactare possint, nonne alii reponent hoc esse indicium cur potentia generandi non debeat esse matrimonio essentialis?

Praeterea R. P. cogitur admittere in extrema senectute praesumptionem capacitatis generandi quae sensu communi reicitur. Cfr dicta supra, de senibus.

De quarta sententia. Quae, in recitatis sententiis parum cohaerenter dicta deprehendimus iam nos non parum inclinant ad quartam sententiam quae istos defectus vitat, magis ad antiquiorum placita redit et sine ulla difficultate sibi plane constat. Haec, agnoscens magnum discrimen quo eunuchi et spadones separantur ab iis qui servant secretionem internam et appetitum sexualem, solos castratos impotentes pronuntiat dum aliis nuptias permittit.

Sententia ista magis quadrat ad placita doctorum qui ante decretum Sixti V (de quo statim) scripserunt. Cfr supra citata testimonia. Non cogitur parum cohaerenter nuptias permittere solis mulieribus sterilibus, vel praesumptionem aptitudinis ad generationem in senibus et mulieribus urgere donec res omnino inverisimilis fiat. Praeterea omnibus qui secretionem internam servant modum per se servat quo honesta ratione appetitum carnalem temperare et quietare possint. Rationem cur, cum Sixto V castratos impotentes declarat non ex impedita exteriori effusione repetit, sed quia copula eorum (si qua detur) est prorsus inutilis, desinit in vanos furores.

Obicitur tamen ex decreto Sixti V, 27 Iunii 1587, „Cum frequenter“, quo eunuchi et spadones incapaces matrimonii decernuntur. En textus.

„Sixtus Papa V

„Venerabili Fratri Episcopo Novariensi nostro et Sedis Apostolicae in Regnis Hispaniarum Nuncio.

„Cum frequenter in istis regionibus eunuchi quidam et spadones, qui utroque teste carent, et ideo certum ac manifestum est, eos verum semen emittere non posse, quia impura carnis tentigine, atque imundis complexibus cum mulieribus se commiscent, et humorem forsam quandam similem semini, licet ad generationem et ad matrimonii causam minime aptum effundunt, matrimonia cum mulieribus, praesertim hunc ipsum eorum defectum scientibus, contrahere praesumant, idque sibi licere pertinaciter contendunt, et super hoc diversae lites et controversiae ad tuum et Ecclesiasticum forum deducantur, requisivit a Nobis Fraternitas tua, quid de huiusmodi connubiis sit statuendum.

„§ 1. Nos igitur attendentes, quod secundum canonicas sanctiones et naturae rationem, qui frigidae naturae sunt, et impotentes, iidem minime apti ad contrahenda matrimonia reputantur, quodque praedicti eunuchi aut spadones, quas tamquam uxores habere non possunt, easdem habere ut sorores nolunt, quia experientia docet, tam ipsos dum se potentes ad coeundum iactitant, quam mulieres, quae

eis nubunt, non ut caste vivant, sed ut carnaliter invicem coniungantur prava et libidinosa intentione, sub praetextu et in figura matrimonii turpes huiusmodi commixtiones affectare, quae cum peccati et scandalii occasionem praebeant, et in animarum damnationem tendant sunt ab Ecclesia Dei prorsus exterminandae. Et insuper considerantes, quod ex spadonum huiusmodi et eunuchorum coniugiis nulla utilitas provenit, sed potius tentationum illecebrae et incentiva libidinis oriuntur, eidem Fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut coniugia per dictos et alios quoscumque eunuchos et spadones utroque teste carentes cum quibusvis mulieribus, defectum praedictum sive ignorantibus sive etiam scientibus, contrahi prohibeas, eosque ad matrimonia quomodocumque contrahenda inhabiles auctoritate nostra declares, et tam locorum Ordinariis, ne huiusmodi coniunctiones de cetero fieri quoquo modo permittant, interdicas, quam eos etiam, qui sic de facto matrimonium contraxerint, separari cures; et matrimonia ipsa sic de facto contracta, nulla, irrita et invalida esse decernas.

„Datum Romae, apud Sanctum Marcum, sub anulo Piscatoris, anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo septimo, 27 Iunii, Pontificatus Nostri anno tertio.“

Non negamus non paucos isto decreto Sixti V adductos fuisse ut alteram sententiam, qua vasectomiam duplicem passi matrimonii incapaces dicuntur sequerentur. Observamus tamen:

a) Aetate Sixti V vasectomia ignorabatur. Quare de casu nostro nihil *explicite* profert, sed mere nulla declaravit coniugia attentata a spadonibus vel eunuchis utroque teste carentibus.

b) Nobis opponunt dicta sub initio: „eunuchi quidam et spadones qui utroque teste carent, et ideo certum ac manifestum est eos verum semen emittere non posse . . . et humorem forsitan quendam similem semini effundunt.“ En condicio eorum qui utramque vasectomiam passi sunt.

Verum allegata pertinent ad introductionem, et ab *oratore* scripta sunt. Nec confirmantur a Papa, qui prorsus aliam causam appellat, id est completam inutilitatem tentatae copulae ad finem primum vel secundarium matrimonii. Quod profecto de orbatis utroque teste asserendum est, minime autem de iis qui, servata secretionem interna, appetitum venereum retinent et satiativae copulae sunt capaces. Quare locus iste decreti omnino negligi potest.

c) Paulo ante decretum Sixti V, mortuus est Azpilcueta, Dr Navarrus. Is erat amicissimus Sixti V, multaque ex eius consilio fiebant. Parum verisimile est Sixtum V voluisse decreto suo damnare sententiam quam clarissime tuebatur Navarrus.

Quid autem quod Sixtus V non ignorabat alias esse artes dandi sterilitatem. Illas Pontifex gravissima plectit ratione, non tamen quidquam habet de validitate eorum matrimonii.

Quid praeterea dicendum foret de multis viris qui non propter vasectomiam, sed propter debilitatem, aegritudinem, senium, in condicione versantur eorum qui vasectomiam passi sunt?

Hactenus de argumentis pro quarta sententia. Fatemur tamen, hactenus non multos, post decretum Sixti V, eidem calculum adiecisse. Ipsi, in altera editione nostrae Theologiae moralis, valde timide Tomo 4, p. 38, quaedam pro ea insinuavimus. Attamen sententia ista paulatim acquirit patronos. Ita, anno 1933, in *Ephemeridibus Theologicis Lovaniensibus* R. D. Arendt erudite sententiam propugnavit et locum Sixti V eleganter explicuit. Praeterea Malley, Gemelli, Labouré, Donovan, in foederatis Statibus Americae Sept. eandem tenent. Eidem fuse favet Mayer in citato opere; favet iam et Noldin-Schmitt, II, 22, n. 329. Cfr III, 21, n. 567.⁹⁾ De ipsa autem sic pronuntiatur a Josef Grosam in hac ephemeride, 1930 (p. 91, loci separatim typis excusi): „In fine non remanet nisi quarta sententia; haec sola theoretice satisfacit; pro se habet quod sibi plene cohaeret, et melius omnibus difficultatibus satisfacit. Sane Wernz-Vidal eam provisorie appellat ambiguum, nondum multos patronos invenit, mihi tamen verisimile est fore ut post non multos annos sibi conquirat mundum.“

Haec dicta sint, salva facultate Ecclesiae constituendi impedimentum quo sterilizati matrimonio arcentur; vel etiam auctoritative declarandi oppositam sententiam, cui declarationi, si umquam promulgetur, libentissime adhaerere parati sumus.

Unum, non levis momenti, addendum est. Traditio qua fit matrimonium oportet ut sit completa: non sufficit partialis. Qui ergo, vasectomiam passus, matrimonium facere intendit, debet alteri parti omne ius cedere in corpus suum, nec possit sibi quidquam reservare. Si incomplete se tradiderit, matrimonium fecerit invalidum.

⁹⁾ Iam in ed. 17, 1925, n. 567, *Noldin-Schmitt* haec leguntur: „Altera sententia impotentiam quae dirimit matrimonium dicit esse meram inhabilitatem coeundi, et hunc conceptum esse genuinum, ex mente etiam veterum canonistarum qui solum per tempus obfuscatus fuerit occasione alicuius Motu Proprio Sixti V de matrimonio eunuchorum.“ Impotentes autem non ponit eos qui passi sunt duplicem vasectomiam, nisi erigibilitas perierit. (Ibidem, n. 567.)

III. De licito usu coniugii ab iis qui vasectomiam passi sint.

Si consultum adimus auctores, eos reperimus benigniores in permittendo usum coniugii quam ipsum matrimonium. Quocirca non desunt qui usum matrimonii concedunt coniugibus qui post contractum matrimonium facti sunt impotentes. In nostro autem casu, ubi copula possibilis est et appetitum satiat, nulla habetur difficultas in indulgendo usu coniugii. Si tamen mera ligatione procurata sit sterilitas, et sine nimia difficultate expedita generandi facultas restaurari possit, restitutio capacitatis praestanda erit, ne perseverent in gravi peccato abutendi matrimonio contra finem primum institutionis.

IV. Ius partis quae, nescia vel invita, crimine compartis steriles tantum copulas habitura est.

Restat iam quaestio proposita a Dr Iosepho Grosam, in laudata lucubratione, utrum pars quae, decepta a coniuge non iam habitura sit nisi copulas steriles, quia coniux sibi procuravit vasectomiam duplicem vel fallectomiam, possit ob gravem iniuriam se separare a toro et cohabitatione. Respondemus affirmando istud ius suum. Casus quidem non est in can. 1125—1131 expressus, sed can. 1131, ad rationes separationis legitimae quas memorat, subiungit: „aliaque id genus.“ Genus autem profecto participat enormis iniuria qua afficitur coniux qui crimine compartis, nesciens aut invitus reducitur ad statum temporariae vel perpetuae sterilitatis.

V. Supplementa non nulla.

Quo, remotis quibusdam praeiudiciis, doctrina quam pro vera habemus manifestior appareat, operae pretium duximus pauca de ista materia addere.

1. *Usus coartatus ad dies sterilitatis* nullatenus aequiperari potest cum abusu neo-malthusiano. Usu neo-malthusiano ipsa copula corrumpitur, privatur sua directione naturali, impedimentum positivum suae naturali consequentiae apponitur; dum usus restrictus fit secundum naturam. Quocirca reprobatio, qua S. Pontifex in Enc. *Litteris Casti connubii* declarat: „quemlibet matrimonii usum in quo exercendo, de industria hominum naturali sua vitae procreandae vi destituatur, Dei et naturae legem infringere, et eos qui tale quid commiserint

gravis noxae labe commaculari“ (apud *Periodica*, t. XX, 1931, p. 17), usum neo-malthusianum quidem, nullo modo autem usum restrictum tempore sterilitatis attingit. Neque dicas usum restrictum spiritum neo-malthusianum sapere. Multis enim motivis, etiam nobilissimis honestari potest.

2. Quamdiu unio carnalis cum muliere certo sterili, v. g. quae menopausim habet, aut iam est gravida, permittitur: quod omnes concedunt, nullo argumento demonstratur peccaminosum per se esse usum matrimonii reservatum tempori sterilitatis. Tempore enim ubi fecunditas haberi potest, non fit actus: qua virtute privaretur actus qui non existit? Tempore autem sterilitatis fit actus et nullum effectum adducit; sed non ex impedimento posito ab homine, ast ex ipsa lege naturae: Deus statuit ut copulae in certis diebus manerent infecundae. Naturalis autem inclinatio servatur, cum actus ponatur complete, ut tunc possibilis est.

3. *Nonne est obligatio positiva, ut qui matrimonio iuncti sunt prolem genere conentur?*

Resp. Praeceptum „Crescite et multiplicamini“ afficit genus humanum in genere, non autem, per se, singulos coniuges; saltem nunc, cum homines satis multiplicati sunt.

Observes praeterea, ut experientia docet, eos qui praecepta legis naturalis observant, paulatim, ex restricto usu coniugii, attrahi ad volendum prolem ex suo coniugio.

4. *Ast licetne operi carnali indulgere, ita ut finis primarius operis evitetur?*

Resp. Si esset unicus finis, non liceret, sed habentur fines secundarii.

Ast ordo inter fines corrumpitur, cum principalis studiose declinatur, et tantum secundarii intenduntur?

Resp. Ordo inter fines nullatenus corrumpitur, cum coniuges copulam secundum naturam perficiunt. Actus tunc servat naturalem directionem ad procreationem, ac finis operis servatur.

Inst. *Sic actum peragunt ut finis operis non attingatur.*

Resp. Distinguo. Actum peragunt in adiunctis in quibus, sic ordinante Deo, finis primarius non obtinebitur: *Conc.* Sed non faciunt actum ut finis non obtineatur. Hoc tantum verum est, actum coniugalem non ideo fieri ut

positive ad finem principalem perveniatur. Ad hoc non iuvant quantum possint. Sed undenam oriretur ipsis obligatio iuvandi quantum possunt? Hoc facere deberent si haberent positivam obligationem procreandi.

5. *Facultas generandi homini data est ut per actum carnalem natura, operans ut causa principalis, provideat generationibus quibus genus humanum servatur.* Usus autem studiose factus diebus tantum sterilibus, impedit naturam ne suas partes agat. Ergo impedimentum ponit contra ordinem naturae.

Resp. Negatur assertum. Homo nihil agit, sed tantum permittit cursum naturalem rerum ut sunt ordinatae a Deo. Undenam demonstres obligationem dandi per actionem personalem istam efficaciam actui qui legitime est factus? Et memores permitti matrimonium cum persona certo sterili.¹⁰⁾

Instabis. Quo pacto servatur, per usum restrictum diebus sterilitatis subordinatio finis secundarii matrimonii sub fine principali?

Resp. Servatur quatenus opus carnale fit secundum legem naturae. Copula carnalis recte facta dirigitur ad procreationem. Si eam non obtinet causa non est in coniugibus, sed in ordine statuto a Deo, quo non omnes dies sunt fecundi.

Pervertere ordinem naturae numquam licet. Dum actus fiunt per se apti ad generationem, in toto processu servatur ordinatio ad finem primarium. Nihil plus exigitur. Per actus contra naturam perverteretur ordo naturalis; ageretur contra finem primarium matrimonii.

6. *Qui restringunt usum matrimonii temporibus infecundis, volunt simul non uti tempore fecundo.* Complexus iste adversatur ordini naturali. Etenim naturae et generi facultatis procreandi repugnat ut copula fiat quae fini principali utilis esse nequeat (sic fere R. P. Doodkorte O. P.).

¹⁰⁾ Subtilis ista ratio arguendi proposita est a R. P. Magistro Alberto C. Doodkorte O. P.; cfr eius lucubrationem in *R. K. Artsenblad*, mensis iulii 1935, p. 197—205, post optimam expositionem R. D. Prof. van de Loo, p. 186—197. Ad roborandam suam dissertationem, R. P. Doodkorte affert exempla quae non sunt ad rem v. g. usus apparatus masticandi et sumendi, subtracata facultate nutriendi; hominis qui petras et coementum affert, quando murator non adest; nihil autem affert, cum operarius adest. Fiunt tunc inutiles prorsus actiones; dum, in casu usus restricti, habentur semper utilitates finium secundariorum matrimonii.

Resp. Transmissa propositione antecedente, oppositio cum ordine naturali negatur. Etenim naturae et generi facultatis procreandi minime repugnat, ut copula fiat quae ex ipsa naturae ordinatione, finem principalem non obtinebit, sed ad fines secundarios matrimonii erit valde utilis. Desideratur argumentum demonstrans obligationem faciendi actum coniugalem tempore fecunditatis, postquam factum est tempore sterilitatis. Ac nimis probaret obiectio. Tunc enim quomodo liceret unio cum persona sterili?

7. *Voluntas hominis, creaturae, debet esse consentanea voluntati Dei seu naturae. Iam vero, cum natura tendat in procreationem, voluntas ei non est consentanea quae eandem studiose vitat.*

Resp. Voluntas creaturae debet esse consentanea voluntati divinae, quatenus observet ordinem a Deo statutum, *conc.*; quatenus propter eundem finem semper agat, *negative*. Consentanea est voluntati divinae, quatenus numquam copulam facit contra naturam.

8. *Nimium in ratiociniis negligitur aspectus socialis matrimonii: is potest imperare copulam fecundam.*

Resp. Vera diceret obiectio, si tota quaestio poneretur de officiis coniugum in matrimonio. Nobis unica quaestio erat proposita: utrum necne usus matrimonii solis diebus sterilitatis contineret in se moralem inordinationem. Ita qui demonstrat talem modum acquirendi praedium non adversari iustitiae, non eo ipso demonstrarit, praedium possideri secundum omnia praecepta divina, v. g. de missione sociali proprietariorum.

9. Quocirca etiam minime probamus omnem rationem qua propagetur methodus Ogino-Knaus. Non est separanda a complexu legum de matrimonio secundum intentionem divinam.

Adiuncta enim societatis talia succedere possunt ut, ob causam accidentalem publica sit necessitas habendi matrimonia fecunda; quo casu, obligatio etiam gravis fecunditatis, non tamen de se, sed ex adiunctis oriretur.

Atque, in praesenti generis humani conditione, labe cuiusdam egoismi inficitur actus eorum qui in matrimonio volunt consequi voluptatem sine onere per se coniuncto et sine incommodis in generatione et institutione liberorum sustinendis. Sine causa excusante, ve-

nialis ibi cernitur inordinatio. Frustra autem conatur ibi demonstrare culpam mortalem R. P. Lavaux O. P., professor Universitatis Friburgensis in Helvetia.¹¹⁾

Componi nequit, sic ipse, cum fine primario matrimonii: is repudiatur.

Respondemus, negando istam repudiationem positivam. Mere omittitur prosecutio positiva istius finis. Sed unde nasceretur obligatio? Satis est ut nihil contrarium fiat.

Restrictio iurium ex pactione ante matrimonium faceret matrimonium nullum. Ergo intra matrimonium est gravis culpa arguenda.

Resp. Profecto de gravi culpanda foret tentata pactio qua unus alteri ius auferre vellet utendi coniugio, immo pactio ista foret nulla. Sed non continetur in omni abstinencia, etiam perpetua. Immo ita debent esse sub gravi dispositi ut si qua forte proles nascatur omnia officia conexa cum praegnatione et nativitate fideliter implentur.

10. Inter opera quae valde commendanda sunt indicare iuvat opus excellens Canonici Dermine: *Les lois du mariage chrétien*, nouv. édition, Museum Lessianum; eiusdem scriptoris, *A propos de l'onanisme conjugal*. Collationes Tornacenses t. XXIX, 1924; R. D. Arendt, *De genuina ratione impedimenti impotentiae*. Ephemerides theologiae Lovanienses, 1932, p. 28—69 et 442—450. R. D. van de Loo, *Over periodieke Onthouding*, R. K. Artsenblad, p. 186—197; Thesis ad Lauream Theologiae, die 13 iunii 1935, proposita a R. D. Hoogen: *De sensu matrimonii (over den zin van het huwelijk)* Noviomagi (Nijmegen).

Conclusio.

Quae scripsimus, adhaerentes principiis quae edocti sumus, fidelesque, ut putamus, traditioni ecclesiasticae; simul tamen, in re adhuc satis nova nos monent ut animum plene subiectum auctoritati Ecclesiae expresse profiteamur. Ad feliciorum statum socialem et singulorum, valde conducit ut homines magis Deo, auctori naturae atque eius amantissimae Providentiae, quam passionibus suis credentes, metam vitae suae etiam terrenae non ponant libidinem, voluptatem, sed officia.

¹¹⁾ Le monde moderne e le mariage chrétien, p. 417—422.

Abstinendo callidis artibus ad quaerendas momentaneas et fugaces delicias inferiores vel infimas, nobiliorem satisfactionem sibi praeparant in oboediendo Patri caelesti, qui simul est perfectissimus et felicissimus.

Nullam aliam optamus conclusionem lectorum nostrorum, quam ut, per illibatos mores, tendant ad sanctitatem, ad puritatem, ad beatitudinem.

Arthurus Vermeersch S. I.

Die Beichtskrupulanten.

Ein Erklärungsversuch nach moderner Pathocharakterologie.

Von Hochschulprofessor D. Dr A. Eberle, Dillingen a. d. Donau.

I.

Nur wo das religiös-sittliche Leben auch praktisch betätigt und gepflegt wird, kann es zu der abnormen Erscheinung skrupulöser Gewissenshaltung kommen. Sie wird sich darum wohl vielfach bei Katholiken finden, die ein intensives, ausgeprägtes Seelenleben führen; doch müßte man es als eine unverzeihliche Verkennung dieses abnormen Seelenzustandes und als krassen Widerspruch mit dem wirklichen Tatbestand bezeichnen, wollte man diese abnorm peinliche Gewissenserscheinung ausschließlich mit der katholischen Moralauffassung oder der katholischen Sittenbelehrung in letztursächlichen Zusammenhang bringen.¹⁾

Die Skrupulosität gehört psychopathologisch zu den Zwangsvorgängen, stellt aber nur eine Seite dieser Erscheinungen dar, soweit sich diese eben auf dem Gebiete der religiös-sittlichen Lebenshaltung bewegen. Moralthologisch verstehen wir darunter jenen Seelenzustand, der aus übertriebener Ängstlichkeit, aus einem Furchtgedanken heraus von der Neigung beherrscht ist, ohne vernünftigen Grund oder nur auf Scheingründe hin Erlaubtes für Sünde oder läßliche Sünde für schwere Verfehlung zu halten. Während bei dem zarten Gewissen, um zu näherer Differenzierung und Erklärung des Gesagten einen Vergleich anzustellen, eine zarte, von heiligem

¹⁾ Vgl. hiezu Rh. Liertz, Wanderungen durch das gesunde und kranke Seelenleben bei Kindern und Erwachsenen, München 1924, S. 96 ff.